



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MDLX. ad annum MDCXXIII.

Parisiis, 1644

Titvlvs III. Qvæ Ad Bona Et Ivra Ecclesiarvm, piorumque locorum attinent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15522

quamdiu abfuerit, mensis saltem spatio, postquam redierit, episcopum de suo ad ecclesiam reditu certiozem faciat; quod si neglexerit, perinde censeatur ac si non legitime abfuerit.

TITVLVS III.

*QVÆ AD BONA ET IVRA ECCLESiarVM,
piorumque locorum attinent.*

Decretum I.

QVI deinceps ecclesiastici beneficii possessionem adipiscetur, eius beneficii titulum is, etiam ante non monitus, ad mensum ordinario suo ostendat: quod si secus fecerit, dimidia parte fructuum & prouentuum vnus anni mulctetur, qui ex eo beneficio singulis annis percipiuntur; tum omnibus iuris remediis titulum exhibere cogatur.

Decretum II.

CAVEANT episcopi, ne passim atque indistincte omnes beneficiorum ecclesiasticorum cessiones admittant; sed in iis solum casibus, qui summi pontificis Pii V. literis expressi sunt; meminerintque excommunicationem, quæ earundem literarum sanctione contrahitur, apostolicæ sedi referuari.

Decretum III.

SACRI Tridentini Concilii auctoritate, ea cathedralium & collegiatarum ecclesiarum statuta constitutionesve quascumque, etiam iureiurando & quavis auctoritate communitas, consuetudinesque illas, etiam immemorabiles, quæ etsi minus expressam simoniam, at sordidam tamen auaritiam præ se ferunt, antiquamus, abrogamus, atque rescindimus, quibus illud inductum est, vt qui nuper in canonicorum capitulum, aliorumve ecclesiasticorum hominum collegium adscriptus, capitulique, aut collegii iudicio ad ea canonicalia, aut alia, quæ ad eos pertinent, obeunda munera idoneus comprobatus est; sex tamen mensibus, qui probationum nomine vocantur, choro inseruire ante debeat, quam distributiones quascumque, etiam quotidianas, percipiat; aliisque canonicis, vel aliis eiusdem collegii hominibus accrescat; quæ portio sibi, eo temporis spatio inseruienti, iure obueniret. Illudque in perpetuum iube-

mus, vt in alicuius ecclesiæ canonicorum capitulum, aliudve ecclesiasticum collegium cooptatus, cum admissus comprobatusque erit ad muneris sui functiones, is statim particeps sit residentiæ fructuum, quotidianarumque distributionum, quæ ab iis, ad quos spectat, eidem præstentur pro ratione canonicarum horarum, quarum officium deinceps in ecclesia ille obierit.

Quicumque illas constitutiones, statuta, & consuetudines hoc decreto abrogatas seruarint, contra eos simoniæ poenis, quæ Canonum iure & summorum pontificum constitutionibus statuta sunt, ad Tridentini Concilii præscriptum agatur.

Ne huic autem decreto fraus fiat, hoc statuimus, vt quoties is, qui in eiusmodi collegium cooptandus erit, eiusdem collegii præfectum conuenerit ad se probandum, huius probationis examen intra octo dies de eo habeatur: alioquin probationis ius episcopi sit. Quod si octo illis diebus, habito examine, is probatus non sit, sibi que persuadeat id iniuste factum esse, ad episcopum confugiat, qui, habitis de eo examinis quæstionibus, si iniuste repulsam illum tulisse animaduertit, capitulum, collegiumve compellat ad eum recipiendum.

Decretum IV.

QVIBVS in ecclesiis ea vel constitutio, vel consuetudo est, vt canonicus nuper creatus quos fructus præbendæ suæ primo anno percipiet, eos omnes, vel aliquam eorum partem fabricæ ecclesiæ, aut sacristiæ, aliive pio loco soluat; in posterum illa ita seruetur, vt si ei præbendæ onus pensionis seu reservationis fructuum omnium, alicuiusve partiseorum impositum est, is pro rata solum fructuum, quos libere percipiet, soluat; fideiussore tamen caueat, se reliquam item fructuum illius præbendæ partem soluturum quamprimum vel morte, vel concessu, remissioneve eius, cui fructus reseruati sunt, quive pensionem obtinet, adipiscetur. Eam vero fructuum partem, quam soluere debet, ne soluere prius cogatur, quam illorum percipiendorum dies venerit; sed aut fideiussorem det, se eo ipso tempore statim soluturum, aut episcopus apud aliquem illos sequestri nomine asseruari curet, donec quod piis illis locis debebitur, persolutum erit. Curet autem episcopus,
vt fru-

ANNO
CHRISTI
1569.

vt fructus & cuiusvis generis prouentus, ad sacristiam pertinentes, ne in alios sumptus, nisi in ipsius sacristiae usum erogentur; ideoque quotannis cognoscat, quomodo distributi, & quas in res erogati illi sint. Liceat tamen eidem episcopo de capituli consilio eos fructus in fabricae, vel rei alterius, ad eam ipsam ecclesiam spectantis, usum aliquando conuertere, si modo sacristiae minus tunc opus esse iudicarit.

Decretum V.

NE ecclesiasticorum beneficiorum bona patronis, neve item eis, quorum cessione ea beneficia obtinentur, neque illis praeterea, qui primo, secundoque consanguinitatis gradu cum eisdem iuncti sunt, ne per suppositas quidem personas, ac ne ad breue sane tempus locari liceat, idque nisi cognita prius ecclesiae utilitate episcopus data scriptis facultate concesserit. Quicumque secus fecerit, fructibus vnus anni mulctetur, quos ex eorum beneficiorum praediis bonisve capit.

Inquirat praeterea episcopus diligenter, an aliqua simoniae labes contracta inter eos sit.

Decretum VI.

SI canonicorum, aliorumve ecclesiasticorum hominum collegium, aut moniales, aut alii quiuvis homines, nulla legitima superioris auctoritate, bona ecclesiastica permutarunt, vel alio quouis pacto alienarunt, aut in posterum id committent, cogat episcopus tum eos, qui alienarunt, contra illum agere, qui talia bona detinet, vt ea restituat; tum detinentem compellat, vt ipsa vna reddat cum fructibus non iure perceptis. Quicumque hac in re sibi non obtemperarint, eos anathemate feriat, aut interdicit, ex Canonumque sanctione aliis praeterea poenis afficiat; ac permutationem item eam, aliamve quamcumque alienationem irritam, planeque nullam declaret.

Decretum VII.

BONORVM ecclesiasticorum quauis alienatio, ea lege confecta, vt superioris auctoritate muniatur, si is, cui alienata sunt, antequam contractae alienationi eiusmodi auctoritas accesserit, in eorum possessionem ingressus est, irrita, & nulla ab episcopo declaretur; & qui ea possidet, a possessione statim amoueat; & qui pra-

terea alienarit, ex Canonum sanctione puniatur.

Decretum VIII.

ECCLESIASTICA bona quouis nomine alienata, quacumque ratione ad ecclesiam redierint, etiamsi alicuius ecclesie bonis incorporata non sint, ne tamen amplius ad longum tempus locentur, neve quouis nomine alienentur, nisi illud vere tunc ecclesie utilitati aut necessitati sit.

Decretum IX.

LOCATIO bonorum ecclesiasticorum ad longum tempus facta, cum ex Tridentini Concilii auctoritate recognoscenda erit, ne episcopus, qui bona ipsa locarit, quive eius locationis commissarius aut executor fuerit, causam diiudicet, sed huius locationis recognitio ad episcopum viciniorem pertineat, tum ad eos qui his locationis causis recognoscendis in eiusdem episcopi viciniore diocesi precepti fuerint.

Decretum X.

VT bonorum ecclesiasticorum, quae vel in emphyteusim tradita, vel ad longum tempus alio quouis nomine data sunt, memoria, quoad eius fieri potest, conseruetur; ecclesiasticus quouis homo, cui aliquid in singulos annos eo quouis nomine soluitur, cum primum id exiget, notarium adhibeat, a quo instrumenti fide testatum fiat quidquid ab eo, qui solvere debet, ille acceperit; & cuius fundi, vel vineae, vel prati, vel aedium, aliarumve rerum ecclesiasticarum nomine exegerit, idque, nisi qui ea ecclesiastica bona conductionis nomine nunc possidet, illum tamquam directum illorum bonorum dominum notarii publici fide recognouerit, eadem diligenti, vt supra, descriptione praediorum adhibita.

Quod si quis clericus, cuius hoc interest, in huius rei cautione adhibenda negligens erit, dimidia parte fructuum vnus anni mulctetur, quos ex eo beneficio consequeretur. Quae autem huius rei causa, vel confessiones, vel recognitiones instrumenti fide conficiantur; earum exemplum ille clericus, ad quem spectat, spatio mensis episcopo tradat in archiuo asseruandum.

Decretum XI.

VSV & diuturna consuetudine compertum est, quantum ecclesiis detrimenti damnique saepe importet illa

ANNO
CHRISTE
1569.

ANNO
CHRISTI
1569.

prædiorum ecclesiasticorum locatio, quæ ad certum tempus pactionibus iis iniri solet, vt meliora reddi liceat, ac interdum ea conditione, vt qui sumptus facti sunt, ne possint, nisi in ipso extremæ locationis tempore, recuperari; & qui item conduxerint, eiici amouerive a possessione ne possint, nisi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogarint, quidquidve sumptus fecerint, id omne receperint. Quare nos ecclesiarum vtilitati consulentes, & huic rei, vnde tantum detrimenti, tantumque incommodi ipsis ecclesiis accidere sæpe solet, quantum in nobis est, occurrere volentes, ita statuimus;

Quæcumque ecclesiasticorum prædiorum eò locationes ad certum tempus in posterum pacto fient, vt illa meliora reddi liceat, & quidquid in illis faciendis restituendisve erogatum sit, id ei, qui conduxit, solui oporteat, hæc inita locationum pactio, ne ius tribuat faciendi impensas in quouis ædificii genere vtilis, nisi eas quæ maiorem summam non excedant, quam illa sit, quam conductor retinendo singulis annis, quibus firma est locatio, tertiam partem eius, quod locationis nomine soluere debet, recuperare possit. Eam autem ipsam tertiam partem quolibet anno retineat, quoad, quidquid erogarit, ipse recuperet.

Si quæ vero impensæ, ad vsum necessarium pertinentes, factæ sint, ad quamcumque summam perueniant, tum ob eiusmodi impensas conductor eadem ratione partem tertiam sibi in singulos annos retineat. Sin autem ad sumptus, qui necessario facti sunt, recuperandos non satis fuerit ea tertia pars; ne, completa etiam locationis die, a prædiorum possessione, qui conduxit, antequam ei satisfactum sit, amoueatur: sed ecclesiæ rectori liberum sit, atque integrum, aut comparata aliunde pecunia, aliave quauis ratione ipsa prædia de conductore redimere, aut eadem illi ipsi conductori iterum, consentiente episcopo, locare; idque tot annis saltem, vt tertiam partem ad minimum in singulos annos eius rei retinendo, quam locationis nomine soluit, id omne, firma adhuc locatione, recuperet quod ipse erogarit.

Si vero qui his conditionibus conduxerint, tertiam ipsam partem quotannis non retinuerint, ne ius sit eis ab ecclesia, nec a rectore, qui succedet, partem, quam non

retinuerint, repetendi; sed eorum culpæ adscribatur.

In iis etiam locationibus, quæ a rectoribus, iam ad tempus, ita inita sunt, vt conductores prædia meliora faciant; huiusque pactionis e vi atque ratione ædificia facta tecta que sunt, vel in posterum conductoris sumptibus meliora reddantur; hos sumptus, quos fecerit conductor, ea ratione recuperet, quæ a nobis hoc decreto præscribitur: nisi conuentum sit, vt breuiori tempore soluantur, quam a nobis statutum est.

Quod si is, qui iam conduxit, & prædia meliora fecit, tertiam eam partem retinere nolit; sed vna tantum solutione sibi restitui velit id omne quicquid iam erogarit, partem illam, quam sibi retinere licet, apud hominem aliquem, cui tuto committi possit, quolibet anno deponat, vt sperari aliquando possit, prædia ipsa ecclesiastica recuperari aliqua ratione posse.

Si vero conductor eam tertiam partem non deposuerit, sed rectori ecclesiæ soluerit; rector, qui succedet, illam ab eo repetere possit, aut in rerum, quæ meliores factæ sunt, rationem referre; rector autem, qui tertiam hanc partem temere receperit, dimidia parte fructuum, quos quolibet anno ex ipso beneficio ecclesiastico percipit, singulis annis mulctetur.

Si qui præterea, ob sumptus in prædiis quibusuis ecclesiasticis factos, creditores sunt; eaque prædia non ipsi, sed ecclesiæ rector quauis ratione possidet, ne ea hypothecæ diutius sint, (id quod mutua quadam collusionem aliquando factum est) in hac ipsa re id curet episcopus, vt eadem tertiæ partis annua solutione, quicquid in sumptus erogatum est, etiam fructibus sequestri nomine depositis, aut alia ratione eis restituatur.

Liberum tamen sit episcopo in his omnibus, si quando pro beneficii tenuitate, aliave iusta causâ, aliquid minus tertia ea parte præscripta in singulos annos solui aut retineri consueuerit, id arbitrio suoscruptis concedere.

Vt vero hoc decretum omnibus notum sit, ac plane perspectum, illud nostra auctoritate vulgariter redditum, ab omnibus & singulis vrbis & diocesis parochis, & festo primo die, postquam ipsi acceperint, publice in eorum ecclesiis legatur, ac populo frequenti recitetur.

ANNO
CHRISTI
1569.

Decretum XII.

Q V I B V S cancellariæ episcopalis munus commissum est, ipsimet in ea officii exercitatione versentur; si negotiorum tamen multitudo postulat, alios, episcopi iudicio comprobatos, sibi in auxilium adhibere liceat.

Decretum XIII.

E P I S C O P V S, qui causis iure permissis subsidium caritativum exacturus est, antequam illud sibi persolvi curet, clerum, eiusve procuratores, aut negotiorum gestores conuocet, eisque cum causam exponat, quamobrem illud petere atque exigere cogatur, tum humaniter eosdem cohortetur, vt sibi sponte subueniant. Ne vero maiorem summam sibi solui curet, aut patiat, quam Benedicti duodecimi constitutione, cuius initium est; Vas electionis; præscriptum est: idque nisi consuetudinis ratione aliud obseruatur. Qui contra fecerit, hæc ei poena sit, vt & restituat quod perceperit, & aliam præterea poenam iure expressam luat superioris arbitratu.

Decretum XIV.

C V M primum aliquis huius prouinciæ episcopus mortem obierit, archiui episcopalis clauis notarii publici fide, vna capituli vicario, altera vni de capitulo, ad quem vel officii ratione, vel consuetudine pertinet, sique nemo talis est, alii antiquiori residenti tradatur; ab eisdemque vna & item altera asseruetur, quoad alius episcopus creabitur, cui illas restituant, & rationem de scriptis in inuentario notatis, eorumque custodiæ commissis, eidem reddant.

Decretum XV.

N O N N V L L I homines ad id temeritatis sæpe veniunt, vt cleri mortui bona inuadant, vnaque cum iis illa sæpe, quæ etiam ecclesiæ ministris, in mortui locum succedentibus, debita sunt, & ecclesiæ item, cui, dum in vita ille esset, inseruierat, bona sacrilege subripiant; quare poena excommunicationis latæ sententiæ veramus, ne clerici mortui, qui dum viueret ecclesiasticum beneficium obtinebat, bona, ad ecclesiam eiusve ministros pertinentia, quisquam temere inuadat atque auferat.

Decretum XVI.

H E R E S vltimarumve voluntatum executor, si quæ

piarum causarum nomine legata relictave sunt; ea anni spatio ad summum, aut tempore ab ipso testatore præscripto, non præstiterit, ab episcopo, ut ratio iuris postulat, pœnis, ipso iure constitutis, omnino cogatur piam testatoris voluntatem explere. Ne vero præscriptum illud vel a iure, vel a testatore tempus ab episcopo prorogetur, nisi sibi constiterit, quæ earum causarum nomine relictæ, aut legata sunt, vere præstari non potuisse.

Episcopus vero in parochiis, ubi opus erit, duos probatæ vitæ homines, pietatis amantes, & auctoritate præditos deligat, quorum opera, studio, atque adiumento ad piorum locorum, piarumque causarum iura persequenda utatur, quoad expedire visum sibi erit.

Decretum XVII.

NE notarii, qui testamenta, codicillos, aliasve tabulas de rebus, quæ piarum causarum nomine legata relictave sunt, vel ipsi rogati conscripserunt, vel ab aliis conscriptas apud se habent, magnos nimis labores in iis omnibus conquirendis sustineant; neve si id quod ipsis superiori Concilio præscriptum est, omiserint, excommunicationem, eodem Concilio propositam, subeant; idcirco illam sanctionem, piarum causarum nomine a nobis editam, ita interpretamur, ac moderamur, quo faciliorem etiam executionem illa habeat.

Quicumque notarii sciunt, se rogatos, testamenta, aliasve ultimæ voluntatis tabulas de rebus, piarum causarum nomine relictis, confecisse, nisi sex mensium spatio, postquam testatoris mortem scierint, illa episcopo significarint, quæcumque in ipsis tabulis a se conscriptis legata pia facta sint; ii excommunicationis pœnam ipso iure incurrant.

Qui vero in posterum eius generis tabulas, testamentave scripserint, eandem pœnam ipso facto subeant, nisi tribus post mensibus, quam testatoris mortem cognoverint, pia legata, relictave, episcopo denuntiarint. Hoc autem de sex & trium mensium spatio decretum vim tantum habere statuimus, cum primum Concilium hoc in lucem emissum erit, ac promulgatum.

Vt autem notariorum, qui iam mortem obierunt, exemplaria, & quævis alia scripta, quibus res, piarum

ANNO
CHRISTI
1569.

causarum nomine relictæ, aut legata, notata, ac descripta sunt, conquiri possint; episcopus propositis etiam pœnis & censuris, eam quæ sibi facilius videbitur, ineat rei perficiendæ rationem. Qui notarii præterea ex superioris Concilii decreto excommunicationem subierunt, episcopus eos absolutionem humiliter petentes a censuris absoluat, si modo ipsius episcopi arbitratu ante satisfecerint, ad decreti huius præscriptum.

Decretum XVIII.

PROHIBeat episcopus, ut bona, census, prouentus, aliaque eius generis, quæ ad ecclesiarum fabricas quauis ratione pertinent, ab earum præfectis, aut ministris ad alios usus auertantur quam institutum est, aut certe debent. Idem præterea ex Tridentini Concilii præscripto fabricarum redditus in usus ecclesiæ necessarios atque vtilis, ut expedire magis visum fuerit, erogari curet.

Decretum XIX.

QUI bona ecclesiæ, hospitalium, aliorumve piorum locorum, siue solus, siue vna cum aliis administrat; si vel ipse, vel per interpositam personam ea emerit, aut emphyteusis locationisve nomine conduxerit; ab eo administrationis munere statim amoueat; nec dignus in posterum censeatur, cui talium rerum procuratio, administratione demandetur; cum eoque præterea ex iuris præscripto agatur.

Decretum XX.

EPISCOPVS id sedulo prohibeat, ut quæ fabricæ, hospitalia, sodalitates, & quæ alia cuiusvis generis pia instituta non sunt ad pecuniam mutuo dandam, eorum administratores ne vlla causæ specie cuiquam homini, nec etiam vniuersitati loci, aut viciniis dent mutuo.

Quod si ipsi administratores mutuo vel dederint, vel, quod grauius est, ab iis locis sumpserint, ab earum administratione statim amoti sint, indignique censeantur, qui per sex annos illorum, aliorumve piorum locorum administrationem gerant. Tum etiam illorum præfectus, quouis nomine vocetur, qui huic rei consenserit, excommunicationis pœnam subeat.

Decretum XXI.

NE quisquam pecuniam apud montes pietatis depo-

nat, vel eidem mutuo det, vt inde aliquid, ne minimum quidem lucri, aut eius, quod interest nomine percipiat. Qui vero ex pacto quidquam ea causa perceperit, quod montis pietatis pecuniam vel mutui, vel depositi nomine dederit; cum eo tamquam cum vsurario homine agatur ad iuris præscriptum.

ANNO
CHRISTI
1569.

Quæ præterea de montibus pietatis decreta superiori Concilio sunt, ea episcopus obseruari curet vel diligentissime; compellatque illorum institutiones sibi ab administratoribus ostendi atque exhiberi.

Decretum XXII.

SODALITATES quascumque, seu confratrias, quæ disciplinatorum nomine vocantur, episcopus, vt Tridentino Concilio iussum est, visitet; librosque vel constitutionum, vel meditationum, orationumve, si qui in eisdem extant, studiose recognoscat, ne quid falsum, commentitiumve, aut apocryphum in illis sit; & si quæ inuenerit, quæ emendationem desiderent, illa vel omnino tollere, vel emendare curet.

Efficiat præterea vt confratres, etiam nominatim non vocati, ad statas & solennes processiones accedant, easque recte atque ordine obeant; vtque non mercede conducti, sed pietatis gratia flagella sibi adhibeant.

Easdem item confratrias in eam pristinam disciplinarum regulam redigere curet, quæ iussu nostro recognita & emendata, & huius temporis rationi accommodata, ad communem earum sodalitatum vsum edetur.

Si quæ vero hoc decreto præcepta illi vel contempserint, vel neglexerint, aliaque non obierint, quæ ad eorum sodalitatis officium pertinent, pro rei grauitate seuerius ab episcopo corripiantur; sin autem emendari nulla alia ratione poterunt, eorum sodalitates extinguantur eiusdem episcopi iudicio.

CAPITA QVÆDAM
AD MONIALES PERTINENTIA.

Caput I.

QVOD de certo monialium numero singulis monasteriis constituendo Tridentina Synodus decreuit; quod-